Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 891
Quelle:
Copyright:

tibi ad edificacionem &c. Caput autem I. *Primo considerare debes quare veneris ad quid ueneris* &c. Si initium hujus *Cap.* sequaris, habebis *Bonaventurae* Opusculum *de Institutione Novitiorum* edit. *Lugd.* 1668. T. VII. p. 613. f. Sin autem *Prooemii* initium e *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 869. ita subpleas: *Dilecto in Christo fratri Bertholdo frater David* &c. habes F. *Davidis de Augusta* O. M. *Formulam Novitiorum priorem* nempe *de Reformatione Hominis exterioris.* Atque ab hujus partibus mihi standum puto ex autoritate Codicum *Polling. Ethal.* et *Diessensis*, e quibus Opuscula, quae hic in quaestionem veniunt, primum prodierunt *Augustae ad Insigne Pinus* 1596. 12. unde ad *Bibl. PP. cit.* translata sunt. Qui *Bonaventurae* tribuerunt, fortasse Codicem ἀνώνυμον nacti erant, ut est Noster, aut Titulorum decepti sunt similitudine, ut *Bonaventurae* Editores, qui in Monito praevio p. *suprac.* fidenter adserunt, hoc Opusculum a *Trithemio* inscribi *Bonaventurae*, cum *Trithemius n.* 464. solummodo referat *de Institutione Nouitioram Lib.* I. neque ejus adscribat initium, unde facile non *Formulam* nostram, sed *Speculum Disciplinae ad Nouitios*, quod extat *Opp. T. cit.* p. 532. intelligere potuit, idque eo certius, quod *Davidi* nostro *n.* 455. *de Compositione Hominis exterioris L.* I. et *de Compositione Hominis interioris* pariter *L.* I. tribuat, quorum utrumque in Codice praesenti manibus tenemus. Jam ergo de priore ad alterum transeamus.

IX. *fol.* 161. absque Titulo Praefatio incipiens: *Collaciones meas* (nota rationem inscriptionis Libelli superioris: *Incipiunt collaciones* &c.) *quas exhortatorie ad nouicios* &c. Mox inter caussas susceptae operae: *Vna est, ut eisdem nouiciis nostris, quibus priorem formulam scripseram de exterioris hominis compositione — etiam de interioris hominis reformatione aliqualem notitiam ostenderem* &c. Vides eundem esse hujus et superioris Opusculi autorem, id, quod confirmat aliud sequens Prooemium: *In priori formula nouiciorum quam quibusdam nouicijs scripsi de exterioris hominis compositione* &c. *nunc de interioris hominis id est mentis reformacione* &c. En igitur alterum *Davidis* partum. Interim tamen et is titulo *de Profectu Religiosorum*, qui huc non quadrat, infarctus est *Bonaventurae* T. *cit.* p. 557. Rectius *Trithemius* ad *Davidem: De compositione hominis interioris. L. I. Collationes meas quas.* Jam ad III. Opusculum veniamus.

X. *fol.* 185. *Incipit pro instructione morum et conuersacione proficientium tractatus qui intitulatur candidarius. Candidarii* adpellationem tardius accessisse putem. Sequitur Elenchus tractandorum. Initium Opusculi: *Profectus religiosi septem processibus distinguitur* &c. Erravit *Trithemius* initium istud Libello *de exterioris Hominis Compositione* adsignando, errarunt etiam